Lane Medical Library

DE
ECLAMPSIA PARTURIENTIUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS KUEPER

GUESTPHALUS.

ADVERSARII ERUNT:

F. RITTER, med. et chir. DD.

C. SASSE, med. et chir. DD.

P. REINKING, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

NEC NON

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE,

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De eclampsia disseram, morbo parturientium periculoso, qui aeque antiquitas atque hodie subito exortu terribilique adspectu unumquemque et adeo medicum horrore implet. Nomen graecum originem ducit vel ex ἔκλαμψις i. e. efflammatio, effulminatio, vel propagatum est ex ἐκλαμβάνειν, quod subitam improvisamque correptionem tanquam symptoma proprium significat. Antiquis morbus notus fuit, sed uti similes et hunc medicamentis curare non potuerunt. Quare praejudiciis superstitiosis adducti, a perscrutanda ejus natura mox destiterunt, eum ad morbos sacros referentes, quorum cura ex deo ipso emanaret. Etsi quidem apud scriptores antiquos de illo similisque generis morbo nonnullas magni momenti observationes invenimus; velut Hipp. Popul. II. 5. VII. 37. et in ejusdem Aphor., temporibus posterioribus apud Celsum, Plinium et Galenum: accuratiores tamen perscrutationes recentioris temporis medicis, praecipue Moriceau, de la Motte, Chaussier et Baudelocque adscribendae sunt. Sed morbus, quamquam mentis talium virorum acumine eorumque accuratioribus perscrutationibus pertractatus, tamen non satis liquet; vel confitendum est, veram morbi cognitionem nondum exstare curaeque summam adhuc miserrimam esse — simulque ejus rei causam esse in eo ponendam, quod morbi inter se similes non

separati sint et duo eodem nomine recensi eandem curam experti sint, quum revera natura atque ortu prorsus differrent, spasmi hysterici et morbus noster eclampsia. Hic igitur morbus toto medici studio dignus est non solum propter similitudinem cum aliis morbis, sed potissimum, quod solummodo mulierem invadit illa periodo, qua omnes ejus functiones vitales in uterum conversae sunt, ejusque gravitas etiam ob eam rem reputanda est, quod non solum mulieris, sed adeo foetus vita semper mortis periculum subit, atque sapienti cautaque cura opus est, ex recta cognitione et opinione physiologica de morbi natura profecta, quo utriusque salus conservetur. Quod quidem animo volvens, de imagine, natura, curandique methodo quaedam disserere incitor, nonnullis, quos forte possideo, auctoribus usus, e quibus uberrimus fructus percipi potest, ut officio meo satisfaciam, quum dignitatem academicam assecuturus sim.

Antequam morbus exoritur, cautus observator modicam distentionem et faciei decolorationem videt, variantem inter colorem flavum et fuscum; dolores ad partum pertinentes rarius apparent, quibus cessantibus dolores titillantes mulierem corripiunt. Quum et hi plane intermittuntur, quiete se habet parturiens. Tum oculi profundius in orbita siti sunt, obtutus in aliquod punctum defixus, quasi praesentiat sequentem transitum; aequo animo est et circumstantes non curat, vicissim inquieta, ita, ut ex uno in alterum portari exoptet lectum; frequentius capitis molestiam et dolorem, corruscationem ante oculos, amblyopiam, strepitum aurium percipit; in primis sensus genitalium titillans eam irritat, ut inquisitionem digito obstetriciam libenter patiatur vel cum desiderio et voluptate obtet.

Quae quidem signa stadium prodromorum morbi comprehendentia interdum desunt, ita ut etiam medico praesente nihil suspicante paroxysmi incipiant. Incipiunt enim motus, omnes corporis partes convellentes, musculorum omnium et eorum, qui arbitrio reguntur et qui ultro moventur. Me hercule, adspectus terribilis. Oculorum bulbi ad unam fixi sunt rem, palpebris tremulos motus facientibus, aut in orbita, horribile visu, se volutant. Faciei musculi se omnes movent, praesertim manducationi inservientes; dentes vehementissime colliduntur, quibus lingua interdum laeditur. Quo fit, ut spuma in ore coacta, exinde emissa, sanguine intermixta sit. Brachia altius porrecta, cum impetu quodam moventur; respiratio, pectoris et abdominis musculis vehementer contractis, difficilis; pulsus irregularis, celer, durus et plenus est. Partes corporis internae spasmis interdum moventur, quibus, quum uterus affectus est, orificium ejus, vix patefactum, denuo clauditur. Quo saepius paroxysmi redintegrantur, eo magis cutis intumescit atque livescit.

In eclampsia vera mulier mentis non compos est, quae alienatio, paroxysmo jam praeterlapso per tempus aliquod manet; interdum vero conscientia redit nesciae, quae sibi voluerit. Saepe etiam accidit, ut spasmi clonici permutentur et in tonicos transeant. Tali vero paroxysmo finito, aegrota tam defatigata est, ut somno alto plenoque vincatur et capiatur; evigilans in statu soporoso, dum nulla re mens est affecta, diu permanet. Si autem paroxysmi plures consequuntur, alii aliis vehementiores esse solent. Illae convulsiones, in quibus inter spatium liberum conscientia non redit, omnes ferme periculosae et mortiferae sunt. Sed haec morbi signa in unaquaque muliere

raro omnia observantur, alias nonnulla desunt, alias illa augentur.

Plurimi auctores, quod ad processum et eventum pertinet, duos distinguunt morbos, eclampsiam simplicem sive benignam, et veram seu malignam. Sed una est morbi species et haec periculosissima; illa sic dicta benigna spasmos hystericos amplectitur. Cujus diagnosis et separatio accurata necessaria est propter curandi methodum in utroque morbo plane diverse instituendam. Eclampsia enim vera, si hoc mihi liceat verbo uti adjecto, paroxysmi vehementia et subito continuoque processu satis manifestatur. Nam spasmi hysterici, qui jam antea, etsi minus turbidi existunt, e constitutione corporis ipsius nervosa aut innata aut postea effecta explicandi sunt. Qui, quum apparent, interdum desunt mentis alienationes sensuumque turbationes: hae, si adsunt, inter tempus liberum plerumque remittuntur. Praeterea morbo jam praeterlapso diagnosis ejus fausto eventu prorsus comprobatur. Si quis illam cum epilepsia confundat, quum sane similitudo aliqua negari non possit, recte id contra potest dici, morbum foeminae proprium ejusque naturam aliam esse atque deesse auram epilepticam, symptoma characteristicum. Sed sane mirandum, epilepsiam si foeminas invadit, inter graviditatem rarius existere, inter partum vero vehementissimo paroxysmo redintegrare. At vero revocatis partus doloribus, quod Busch uno forcipis cochleari applicando efficit, impedimentum facile oblatum est.

Morbus celerrime decurrit et aut valetudinem aut mortem, rarius vero morbum secundarium adducens, inter horas viginti vel triginta paroxysmis finem imponit. Res

enim interdum bene cedit, si acceleratis partus doloribus, foetus ejectio sequitur. At quum uterus spasmo frequentissime afficiatur, foetus vita anceps est. Qui quum vivus in lucem prodeat, simili morbo nec minus periculoso corripitur, cui semper ferme succumbit, eclampsiae infantum. Si eclampsia sanatur, convulsiones modo decedunt, et somno foeminae vires validiores fiunt per unum paroxysmum magnopere percussae atque debilitatae. Atque ille somnus roborans morbi ipsius crisis putatur, nisi sudor copiosus, aquosus aut sanguinis ex utero fluxus aut faecum secessus aut secretio lactis adaucta faustum exitum adducat. Transitus alter in alium morbum rarius, uti jam memoravi, observatur; sin transit morbus, conditio nihilo melior reddita est. Cujus transitus in maniam puerperalem, in peritonitidem, in paresin partium singularum, inprimis extremitatum, rarius quidem in hydropem mentionem tantum facere sufficiat, neque decursus diutius procedens seu chronicus, cum ab epilepsia abdominali vix discerni possit, omittendus est.

Antequam vero morte scena terribilis finiatur, aegrotae vires vitales prorsus infringuntur, quae res exsudatione inter cerebrum et medullam spinalem serosa aut sanguinea, vasis harum partium nimis impletis, existit. Mente mihi respicienti, utrum morbus in plurimis casibus faustum attingat finem an malum, id a curandi methodo, a spatio partus, quo eclampsia foeminam invadat et ab vehementia, qua paroxysmi singuli perdurent, pendere concedatur. Prognostica scilicet mala morbi haec sunt: spasmi clonici in tonicos transeunt — mentis alienationes sensuumque perturbationes per intervalla non decedunt; paroxysmi nullis nuntiis initium capiunt, inprimis partus stadio primo, quum

uterus ad emittendum foetum vix propensus esse videatur, res male se habet. Sed hoc loco spasmos hystericos commemoremus inter partum orientes, qui laborantes in summum conjiciunt periculum, quique eclampsiae effigiei similes cum his commutati sunt. Talium prognosin faustiorem statui posse putamus. At experientia usuque docetur, eclampsiam foeminas frequentius invadere primiparas, rarius vero multiparas, in illis fortius saevire letalemque exitum habere. Huc accedit, quod morbus semper quasi insidias parat; nam si quis opinatur paroxysmum morbi ultimum adesse, subito novus et fortior prorumpit scenamque tristem finit. Atque partu inter spasmorum intervalla non facto, quia dolores ad partum propter debilitatem non revocandi sunt, vel operatio quaedam necessarie instituenda frustra adhibetur, utriusque et foetus et matris vita fere semper perditur. Verum etiamsi post aliquod tempus partus bene procedat, utcunque erit, morbus secundarius vel peritonitis vel metritis traumatica, alii mortem saepe adducunt. Porro si singula morbi spatia consideramus: haec prognostica statuenda sunt: sub partus initio doloribus modo grassantibus, tum etiam in fine res saepe non bene cedit; adaugetur cura si laeso uteri orificio eclampsia oritur, quod ea tetani traumatici formam et characterem assumat; periodo tamen quarta, si ob aliquam causam partus longius producitur, secunda, si ruptura velamentorum quae amnii liquorem nimium continent, partum moratur, et tertia periodo in universum prognosis melior statui potest.

Dolendum sane est, quod plurimi de eclampsia auctores in narrandis et describendis morbi historiis non satis stricte accurateque casus singulos discernunt atque secundum symptomata corporisque constitutionem et formam

utriusque morbi effigiem separant. Qui quidem, quum symptomata in utroque morbo eadem esse videantur, eandem esse utriusque naturam putant. Quam ob rem casus singuli in uno ordine collocati et confusi non suppeditant judicio, morsne consecutura sit nec ne; nimirum ad praejudicandum et faustum aut malum eventum, incerti habendi sunt. Attamen enumeremus eventus faustos, quibus praestantissimi quidam obstetricatores in curandis singulis casibus gavisi sunt, nec praetermissis malis successibus. Quamquam relata tam diversa, immo contraria sunt, ut jam ex iis facile intelligi possit nequaquam esse morbos ejusdem naturae. Busch in relatis de clinico artis obstetriciae Berolinensi eclampsiae benignae sic dictae quinque, malignae sex casus describit. Jam utriusque formae conspectum cum brevi explicatione exhibebo:

Rationes habendae sunt hae:

Ad I.

Quoties femina pepererit	Cujus aetatis fuerit	Qua partus periodo morbo correpta sit	Utrum femina servata sit nec ne	An infantis vita servata sit
I	XXII a. n.	III	servata	servata
I	XXVI	II	„	„
I	XXII	IV	„	„
I	XXIIX	II	„	„
I	XXVII	II	„	„

Ad II.

I	XXIV	III	servata	non servata
I	XX	IV	„	servata
I	XXVII	III	non servata	non servata
I	XXVI	IV	„ „	„ „
I	XXIV	II	„ „	„ „
I	XXXIIX	I	„ „	„ „

Mauriceau inter partum decies novies eclampsiam observavit: mortuae sunt undecim foeminae; quoties servata sit infantum vita, non dicit; inter graviditatem et partum semel, vitam amisit foemina, inter partum et post bis, una mortua est.

Merriman: inter geminorum partum ter, unam mortuam refert; post partum sexies, nullam mortuam; inter operationem forcipe factam undecies, nullam; inter cephalotomiam novies, mortuas duas; inter versionem quater, mortuas duas; inter partum sine auxilio quater decies, quinque mortuas. Casuum summa est quadraginta octo. In universum primiparae triginta sex recensentur; sanatae sunt triginta septem, mortuae undecim. Ex infantibus mortui sunt triginta quatuor, ii, quorum servata est vita, septemdecim sunt.

Madame Lachapelle inter partum ex viginti tribus novem mortuas tradit foeminas.

M. Pacoud in magno partuum numero vicies observavit.

Dejardins: inter partum quinquies, omnes servatae sunt.

Champion primiparas eclampsia affectas decies observavit, quarum septem servatae, tres mortuae sunt; infantum quinque vita servata.

Velpeau: inter partum quinquies, mortuae duae, sanatae tres sunt.

Equidem Ill. Wolfio Buschioque ducibus quinquies eclampsiam observavi, ubi feminarum vita servata, infantum omnium perdita est.

Jamjam tentantes de morbi natura disquisitiones aliquas instituere, opiniones virorum eruditissimorum incertas

atque mancas esse modo videmus, quod partes sanguinis in iis, quae eclampsia correptae sunt, non satis dijudicatae sunt et incultior adhuc scientiae medicae pars est nervorum physiologia, e quibus morbi sedes sunt repetendae. Quae de morbi natura scimus observationibus comparationibusque acquisita sunt, quare etiam medicorum opiniones tam diversae vel saepe contrariae sunt. Inprimis opinionem patris medicinae supra omnem laudem humanam elati Hippocratis afferam, qua posteriorum temporum omnes ferme medici suas fundarunt, spasmum oriri ex plethora aut ex defectu sanguinis. Qua quidem, etsi symptoma morbum praecedens atque comitans ponitur, quomodo morbus oriatur, nequaquam satis expeditum et declaratum est.

Desormeaux causam morbi proximam in dispositione corporis ad cerebrum sanguine nimio implendum, vel in explicatione uteri inter graviditatem et in eo, quod sanguinis cursus inter partum turbetur, quaerendam esse opinatur.

Velpeau autem mensium suppressione, qua sanguis ad excretionem destinatus retineatur, morbum arbitratur oriri — uterum vehementer irritari, qua irritatione nervi totumque corpus afficiantur; nec minus uteri circuitum inter partum vim quandam ad morbum procreandum exercere; comprimendis vasis sanguiferis pelvisque nervis talem commutationem circulationis sanguinis atque nervorum actionis provocari, quibus sanguis, qui ad cerebrum affluxit, cerebrique commotio excitetur. „Neque vero“, ait ille, „inter partum in comprimendis nervis, neque in affluente ad cerebrum sanguine, sed in functionibus uteri commutatis, causa eclampsiae sita est.“

Ramsbotham cerebrum et medullam spinalem irritatione sympathica affici credit.

Merriman in irritabilitate totius corporis, praesertim uteri, quae vasorum sanguinis extensione atque nimia impletione existit, causam quaerit.

Tiling hanc habet opinionem: oriri morbum, deficiente propria uteri functione, quod modo ejus conditione et natura, modo momentis nervorum vitiosis, modo impedimentis mechanicis efficiatur.

Elias a Siebold aliique vitia organica morbo subesse censent, quae nusquam in abdomine, sed in cerebri cavo, pectore vel pericardio sita sint.

Betschler in qualitate sanguinis venosa degenerati morbum primarium, et in nervorum affectione morbum secundarium seu spasmos esse sitos putat.

Hujusmodi opiones si omnes commemorare vellem, pagellae hae vix sufficerent. Sed de eclampsiae natura haec est sententia mea. Morbus unus et simplex est, licet plures ad eum provocandum res noxiae simul agere possint. Vera enim hujus morbi causa impulsu sanguinis infrenato in nervis comprobatur. Jam inter graviditatem sanguinis et multitudo et qualitas permutatur, quod vita ejus adaucta est, quum sanguinis copia celerius incrementa capiat atque secretiones, uti mensium fluxus, suppressae sint, dum uteri functiones ceteras totius corporis coercent. Propria enim sanguinis qualitas ei similis est, qui inter menstruationem secernitur et hydrocarbonate abundat. Atque si sanguinis commutatio modum egressa est, irritantur abdominis nervi, quae irritatio continuatur usque ad medullam spinalem et cerebrum. Fit reactionis motus, vehemens, spasmodicus, infrenatus. Simul vero contenta-

tionibus partus adjutus affluit sanguis juxta nervos irritatos ad organa centralia, excitomotoria et, uteri contractionibus motibusque cessantibus, metastatice quasi, uti medici dicunt, his locis actiones oriuntur per totum corpus sese extendentes. Unde enim mens alienata oriatur, nisi vel compressione sanguinis vel vi ejus dynamica et tanquam narcotica? Quod, si quis negat, tamen cerebri functiones intellectuales atque voluntarias deprimi, functionibus medullae spinalis motoriis praepollentibus, concedatur necesse est. Atque oedema cutis ejusque color lividus morbi incipientis nuntius ex sanguine inaequaliter dispertito repetitur, quum musculorum irritatione motuque retentio sanguinis venosi ad circumferentiam adjuvetur. Parturientium chemicam sanguinis qualitatem non ita exploratam habens, illum sanguini puellarum, quae menstruare incipiant, similem esse censeo. Qua quidem sanguinis qualitate spasmos procreari posse e simili conditione puellarum, catameniorum initio satis apparet. Quo tempore puellas interdum convulsiones invadunt, eclampsia mitiores, quas sensus titillans atque coeundi ardor adauctus praecedunt. Hujusmodi symptomata etiam initio eclampsiae observantur. Ad statum utrumque tollendum natura sanguinis fluxum per uterum seu vaginam sapienter instituit. Addam exemplum: foemina quaedam inter quartum partum, quum velamentis jamjam disruptis, foetus emissio differretur, prodromis eclampsiae incipientis vexabatur, inprimis de vertigine atque anxietate, de halucinationibus sensuque confuso, quasi velamen sibi prae oculis extensum sit, conquerebatur. Deinde animadverti, nullo alio modo foeminam placari posse, quam inquisitione obstetricia cum digito, ita ut desiderio ejus morem gerens,

duas ferme horas digitum in vagina tenerem. Ad nutum naturae praesto eram. Quo facto uteri contractiones fortius accelerabantur et postquam venaeseetionem institui eo consilio, ut prohiberem eclampsiam, brevi puerulus natus est. Inde sanguinis fluxus per vaginam sponte ortus omnem timorem, ne eclampsia existeret, excussit, quum sensus ille titillans prorsus tolleretur. Rem ita se habere, quisque medicus peritus facile intelliget atque concedet et curae eventus, de quo post verba faciemus, testis erit. — At vero prorsus diverso modo convulsiones hystericae inter partum oriuntur; non solum sanguinis copia, sed etiam qualitas permutata ad spasmos provocandos nonnihil conferre potest. Sed foeminae, quae minorem sanguinis copiam habent et jam prius convulsionibus correptae sunt, inaequaliter dispertito sanguine, qui uteri actionibus e cerebro et medulla spinali ad abdomen confluit, quasi per inanitatem vasorum spasmis vehementissimis agitantur, quia cerebrum stimulo vitali caret. Simili modo convulsiones fiunt anaemiam comitantes, quae oriuntur post nimium sanguinis fluxum, jacturam humorum vel tum saepissime, quando commutatis organorum chylopoeticorum functionibus nutritio corporis et sanguificatio excretione nimia jacturam facit. De hoc morbo physiologorum recentioris temporis eruditissimus Marshal-Hall, pathologus Hope nova sane protulerunt, jureque alia morbi signa, spasmis exceptis, anaemiae attribuerunt. Quod experientia et usu comprobatum est: nimirum eventus curae illorum placitis de morbi natura fundatae plerumque prosperum se exhibuit. — Causa igitur disponens eclampsiae habitus plethoricus, convulsionum hystericarum habitus anaemicus est. Illius lineamenta haec sunt: color faciei

propter turgorem sanguinis ruber, breve collum, thorax latus et convexus est; musculi omnes bene formati; praeter cutem functiones organorum secretionis tardae sunt; menstruatio nunc cessat, nunc largior est. Donec morbus inter partum oriatur, valetudo integerrima esse solet, ita ut eclampsia quasi fur inter noctem foeminam improviso invadat. Rarissime constitutio ab parentibus propagata observata est ad hunc morbum prona; contra convulsionum hystericarum causa fere semper in hereditaria constitutione est quaerenda. Eclampsiae causae occasionales partim eae sunt, quae ad organismum corporis, partim quae ad mentem pertinent. Inter illas in primis sunt victus vitia inter graviditatem, partus diutius durans, contentio nimia, irritatio orificii uteri instrumentis facta, pressio capitis ad nervos sacrales, quae spasmum partialem procreat et in totum corpus facile pergit; incarceratio placentae, contractiones uteri fortiores et acerbiores dolores excitantes, quae noxiae aeque singulae atque cunctae morbum istum producere possunt. Re vera graviditas usque ad certum tantum tempus tolerari videtur, quum in singulis foeminis eodem graviditatis tempore spasmi oriantur. In causis, quae animum premunt, morbum istum excientes, has ponimus noxias: moerorem, iram, anxietatem, horrorem subitum inter partum, item conspectum alius foeminae spasmis affectae, qui vel maximi momenti est. An coeli vel loci conditio, tempestatis mutatio, unum vel alterum tempus anni ad eclampsiam multum conferat, nescio equidem, quum adhuc experientia nihil certi docuerit. Tamen verisimillimum putaverim maxime in regionibus altis atque etiam auctumno et hieme, ubi sanguificatio major est secretionesque corporis totius minuuntur, sub coelo frigido siccoque convulsiones illas ma-

lignas frequentius existere, quam ea tempestate, quum sanguis secretionibus ci'is quasi purificatur, nutritioque corporis sensim deficit. Quemadmodum in regionibus septentrionalibus eclampsia saepius quam in meridianis apparere conjecerim. — Ad eclampsiam cum convulsionibus hystericis confundendam cadaverum sectiones multum contulere, quum alii observatores a praejudiciis falsis exorsi, partem quandam corporis mutatam nusquam detegerent, alii semper quaedam mutata invenire sibi viderentur. Fuerunt enim, qui recta opinione scientiaque praediti, cadaver quoddam secantes subtiliterque inquirentes praeter cerebrum sanguine inane, nullam invenirent partem corporis mutatam. Instituerant autem venaesectionem, quae cura quum propter sanguinis inanitatem plane inepta esset, illam fecisse se summopere dolebant, opinionemque de morbi natura praeoccupatam deserebant.

Madame Lachapelle, Bouteilloux et Cruveilhier nusquam mutationes pathologicas in sectis cadaveribus invenerunt, Merriman, Velpeau, Hewson cerebrum nimio sanguine impletum aut exsudationem detexerunt. Nobis vero distinguentibus, ubi subtiliter morbi naturam ante mortem aegrotae cognovimus atque constituimus, semper ferme in cadaveribus sectis partes pathologice mutatae occurrebant, quae res opinioni nostrae plane respondebat. Etenim si aegrota eclampsia vera mortua est, in cadavere ejus cerebri vasa sanguifera nimis impleta invenimus aut lympham ex vasis exsudatam. Simul medullam spinalem similiter mutatam observavimus. At vero in convulsionibus hystericis vel aliis inter partum lethalibus cerebri medullaeque spinalis inanitatem sanguinis in cadaveribus sectis unicum signum pathognomonicum invenimus.

Quibus de natura morbi opinionibus atque observationibus fundata cura optimo coronatur eventu. Pauca tantummodo medicamenta, quae summo jure probata habentur, quia foeminas morbo isto insidioso affectas, morti propinquas fere semper servabant, ad curandam eclampsiam sufficiunt, totamque medici fidem merentur. Semper dixerim perpaucis selectis medicamentis ad morbos sanandos et arcendos utendum, et hic affero Hoffmanni verba dicentis: „Res se habet haec instar amicorum. Magis aestimamus unum vel alterum amicum quam centum notos. Multi enim amicitiam offerunt, pauci merentur. Ita etiam notum, selectum et expertum medicamentum reliquis omnibus praeferendum est. Qui omnes habet amicos, nullos habet, qui novit omnia, nihil novit.“ Contemno quidem methodum rudiorem et omni arte carentem, convulsiones cujusvis generis medicamentis sic dictis antispasmodicis sanandi; nam alia contra eclampsiam medicamenta, alia contra convulsiones hystericas dur. In eclampsia, quum curae finis duplex sit, ut et foemina et foetus vita servetur, duae nos ducere debent indicationes, quarum una sine altera nunquam adhibeatur. Studio enim primo cura prophylactica ad morbum praecavendum sufficit. Quae quum morbus saepius inopinato prorumpat, non semper institui potest. Si vero, inquies, vertigo, capitis dolores, color faciei mutatus morbi initium pronuntiant, prudenter cauteque agendo vel paroxysmus prorsus averti vel certe inhiberi potest. Hic venaesectio princeps remedium est simulque clysmatibus derivantibus novus ad cerebrum sanguinis fluxus prohibetur. Inde uteri contractiones cessantes denuo incitentur vel vaginam obturamento infarciendo vel medicamentis aptis; laudo hic solutionem tartari bo-

raxati cum aqua laurocerasi mixtam. Neque tamen ignoscendum esset, si periodo quarta vel quinta partus non acceleraretur ea certe ratione, quae nec matri nec infanti noxia est. At vero methodus exspectativa, quam tempore recentiori faustis eventibus probatam laudabilemque censemus, non prorsus mittenda est; nequaquam vero spectatoris otiosi partes agamus neve Boëri rationem sequamur, omnem inter partum actionem plane repudiantis. E contrario cavendum est, ne inter morbum incipientem vel jam exortum arte manuali aut instrumentis partus accelereturr, praecipue si natura ipsa inductionem aliquam ad uterum contrahendum nondum fecerit. Nam praemature agendo, quum natura cogi nolit, matris et foetus vita saepe perditur. Ut morbus erupit, curandum, ne manuum vel pedum motibus vehementibus, dentibus collidendis pars ulla corporis, velut lingua inter dentes laedatur. Paroxysmos vero quam celerrime prudenter agendo tamquam abscindere vel certe levare, foetus vitam servare tentet medicus.

Quum medici meliores in eo consentiant venaesectionem copiosam vel saepe, si opus sit, repetitam usque ad virium consumtionem, indicationi et causarum et morbo ipsius respondere, illamque, pulsus qualitatis rationem non habentes, instituant, morbo pauciores, deo sit gratia, consumti sunt. Profecto non erat, quod mirarentur ii, qui omnes inter partum convulsiones eclampticas esse censebant, si venaesectionibus pluries institutis post mortem aegrotae cerebri vasa sanguine prorsus destituta invenerunt. Fuerunt nimirum convulsiones hystericae seu anaemicae, quae alia medendi ratione tollendae sunt.

Hic vero medicamenta antispasmodica, nervina, excitantia, inter ea opium, moschum, valerianam, zincum, camphoram alia laudo; at eadem eclampsia affectis porrecta, plerumque, hercule, nocent. Testes nobis sunt medici obstetricatores antiquioris et recentioris temporis, Mauriceau, de la Motte, Levret, qui venaesectionem ad eclampsiam tollendam optimum esse remedium putant. Primi illius verba (ex Aphor. 232.) haec sunt:

„L'emetique est pernicieux aux femmes grosses, qui sont surprises de convulsion: et la saignée est pour lors le meilleur remède que l'on puisse faire, si la convulsion n'a pas été causée par une grande perte de sang."

Smellie, Denmann, Hunter et Regnold inter eclampsiam bono cum eventu semper ferme sanguinem e vena emisserunt.

Saepe enim natura e vagina sanguinis fluxum procreans medicum praevertit morbumque sustulit; quare ille admonetur scalpellum capere eoque prudenter uti. Adhibeantur medicamenta sanguinem derivantia, sinapismus ad suras, fomenta gelida ad caput, curam bene adjuvantia. Urgente autem tempore atque periculo, si convulsiones, medico non praesente, pluries repetuntur et conscientia foeminae inter liberum spatium non redit, immo ipsa comate capta est, ita ut tantummodo ab auxilio praesenti velocique anchora sacra repeti possit, tum aquam ferventem super pedes aegrotae fundere licet, qua exitus letalis, quatenus sperari potest, avertatur. Quae medendi methodus, quum sola adhuc superstes sit, non inhumana vel crudelis putanda est, quod malo minori magnum malum

tollitur. Nam aqua fervida super pedes effusa vim exercet derivantem et mutantem, simulque partum lente progredientem accelerat. Similiter Paulus Dubois quoque jam dudum fomenta calida ad suras applicata propter vim caloris derivantem adhibuit.

Cum indicatione morbi ipsius cura servandae foetus vitae consocianda est. Hic enim quaeritur, num acceleratio partus artificialis ad morbum sanandum necessaria sit, quandoque partus juvari debeat, ne morbo matris foetus vita periclitetur. Qua de re, etiamsi obstetricatorum sententiae differant, tamen temerarium foret naturaeque contrarium, si Osiandri patris opinioni confisi obsequeremur, dicentis: inter partum simul atque uteri contractiones substiterint cum dilatatorio suo orificium patefaciendum et amplificandum esse. Idcirco filii ejus verba, patrem dilatatorio et rationi agendi inter partum semper id adscripsisse, quod nusquam occasionem eclampsiam veram observandi habuerit, temeraria et praefestinata putamus. Contra hanc opinionem John Burns stricte certat; is quidem uterum, orificio jam patefacto, evacuari vult; atque etiam Denman foetum extrahit forcipe, utero plane patefacto; Hamilton semper quam celerrime partum accelerat.

Talia praecepta brevia non sequimur, sed curam a casibus singulis pendentem semper cautius instituendam censemus. Rectius vero Baudelocque; is enim partum censet non esse accelerandum nisi natura ipsa non prona esse videatur ad foetum ejiciendum. Persaepe enim fit, ut, ubi plures venaesectiones aliaque remedia morbum non levant, solum remedium ab promta foetus ejectione exspectandum sit. Natura ipsa rectam nobis rationem demon-

strat. Videlicet si ruptis velamentis propter spasmum uteri metuimus, ne vehementius foetus prematur ejusque vita in ancipite versetur, accelerandus est partus. Porro cum foetus situm irregularem digito exploratum habemus, apertum uteri orificium dilatare, dolores excitare et post plane apertum orificium foetum vertere atque extrahere nos oportet. Contra si disruptio velamentorum artificialis adhibetur, quo amnium effluat, subinde cum uteri contractiones cessent, foetus vita in periculo versatur. Ubi natura partum doloribus jam adjuvit, dolores in alias partes convertendo, cerebri actiones nimium valent eoque contractiones uteri cessant, adhibeatur obturamentum a Schoellero ad partum praematurum artificialem commendatum, cum ad dolores revocandos (iis enim actiones cerebri validiores minuuntur), tum ad partum accelerandum. Neque dubito, quin etiam unguentum opiatum ab Osiander patre laudatum ad dilatationem uteri idoneum sit. Incisio orificii uteri, quae operatio a Lauverjat sectio caesaries vaginalis appellata, post a Coutuly magnopere commendata est, optimos eventus habuit. Ita in dissertatione de hac re evenisse refertur, ut inciso uteri orificio vehementissimae convulsiones tollerentur. Negari non potest, hanc rationem eclampsiae tollendae recta indicatione niti, tum quia sanguinis fluxus derivatio congestionibus ad cerebrum finem inponit, tum quia orificium incisione dilatatum dolores in utero efficit. Attamen reputandum est, sanguinis effluvium incisione effectum caute temperari vix posse, irritationem facile existere nervorum, quae spasmos denuo procreet; itaque operationem in discrimen vocari.

Operationem tum, cum pelvis nimis coarctata vel foetus monstrosus sit, adhibendam esse pro diversis certe

indiciis, ultro intelligitur; sed non prius eam instituere licet, quam natura aut medici ars partum satis praeparavit, perforatione capitis dico, cephalotripsia aut laparotomia.

Si medicus periculum matris atque foetus providens venaesectionem largiorem instituit, ut vires collabantur, remedium est moschus, quem cum det, celeris tremuli pulsus parvi rationem habeat. Haud exigua cura medici esse debet in morbi decursu atque fine et, ne in alium morbum transeat aut denuo emergat, summopere cavendum est. Ferme semper morbum debilitas et lassitudo sequitur, quae plerumque etiam sine ullo medicamento evanescunt. Modo crisis, qualiscunque est, non turbetur, nisi ultra modum egreditur.

Nutrimenta parca sunto ac lenia; omnia irritamenta plane vitantor.

Jam brevibus verbis de nonnullis foeminis inter partum eclampsia affectis referam, quas Ill. Wolfio et Buschio ducibus observabam et omnes sanatas prorsusque in integrum restitutas esse scio.

I. Carolina K..... ancilla, viginti quatuor annos nata, parva, valido corpore, habitu plethorico irritabili, sanguinico temperamento, Januario mense anni praeteriti jam nonnullis diebus ante partum dolores capitis prementes querebatur. In universum soliti nuntii eclampsiae apparuerunt. Quum res cautelam exigeret venaesectio quatuor unciarum et derivatio tumorum in cutem facta est. Quae cura in parturientem nullam vim exercuit, nisi eam, ut contractiones uteri inciperent. Impetus eclampticus eam aggressus est et brevi plures repetiti sunt. Partus nondum eo processerat, ut foetus extrahi potuisset. Postero die autem forcipe partus finitus est. In cujus quinta pe-

riodo sanguinis fluxus magna copia e vagina emanavit. Infans, qui vivus in lucem prodierat, mox convulsionibus correptus jam diem obiit supremum. Matris vero impetus spastici augebantur in eum modum, quem antea in universum descripsi. Denuo venaesectio facta et viginti hirudines capiti applicatae, deinde fomenta calida abdomini et genitalibus, gelida capiti inposita sunt. Ad usum internum calomelanos doses plures praescriptae sunt. Non multo post pulsus durities denuo venaesectionem largiorem postulavit. Inde aegrotae conditio prorsus mutata est, nam copiosae alvi excretiones evaserunt, pulsus parvus, vires debiliores redditae sunt. Nunc jam moschi tres doses duorum granorum adhibitae sunt, quibus effectum est, ut impetus cessarent. Aegrota brevi restituta esset, nisi diarrhoeae aegre sedandae et ferri sulphurici usui demum cedentes illud prohibuissent. Aliquot hebdomadibus post optima valetudine gaudebat.

II. Friderica S..... ancilla, duo et viginti annos nata, valida beneque formata statura. Eclampsiam, quae initio primorum dolorum accidit, praenuntii antecesserunt vehementes capitis atque abdominis dolores simulque vomitus. Mense novo extremo dolores ad partum initium ceperunt, inter quos pluries vomitus et haud exiguus turgor ad caput una cum vasorum irritatione animadverti poterat. Turgor in hunc modum accrevit, ut sensorium ejus valde turbaretur, quam ob rem venaesectio validior opportuna fuit. Convulsiones vehementissimae celeriter se invicem subsecutae sunt, nec vero inter ea conscientia revertit. Denuo venaesectio facta. Nunc jam sensim se aperiebat orificium, ut digito facile dilatari et quum eclampsia nondum desineret, puellula extrahi posset. Sed dum

hoc fit, infans mortua cernitur. Aegrotae capiti fomenta gelida, abdomini calida, cervici vesicantia imposita sunt. Ad usum internum calomel cum jalappa et post majora intervalla, quum pulsus parvus atque celer esset, moschus porrigebantur. Novus turgor sanguinis ad cerebrum impetum vehementem adduxit, sed tres paroxysmi sequentes non tam validi fuere. Hirudines ad caput applicantur, moschi majores doses praebentur, et quum postea pulsus durities atque leves faciei distortiones signa novi impetus esse viderentur, iterum venaesectio instituta est. Somnus quietus per noctem totumque diem nihilo turbatus admodum saluber aegrotae erat; nam cum sensorio plane libero expergefacta est, lochiorum fluxus copiosus accessit et fomentis calidis in genitalibus adjutus est. Haud exiguam vim in foeminam sanandam exercuere diarrhoeae, ut verisimile, post jalappae usum exortae. Irritatio vasorum acidi phosphorici atque aquae amygdalarum usui cessit.

III. Maria R....., ancilla, duo et viginta annos nata, valida ac robusta, primum gessit uterum. Antequam in nosocomio nostro excepta est, convulsiones jam saepius affuerant, inter quas vel per intervalla libera foemina illa mentis impos erat, quo in statu etiam mansit aliquamdiu postquam nosocomio recepta erat. Pulsus frequens, plenus, durus, facies tumida et subrubra in genis. Adhibita venaesectio, fomenta gelida, vesicantia. Plures mox impetus iterum venaesectionem exigebant; attamen haec novos impedire non potuit. Dolores ad partum ad id tempus non observati, fortiores exstiterunt, simul autem pulsus durus atque plenus, turgor ad caput venaesectionis iteratae utilitatem significarunt, sicuti factum est. Senso-

rium liberius rediit, pulsus frequentia imminuta, qualitas adaucta est. Omnino aegrotae conditio in melius est versa, neque tamen partus consecutus est, sed orificium uteri adeo se contraxit. Denuo aegrotae sensorium obtusius, genae rubescebant, quumque a vespere ad matutinum symptomata mala multiplicarentur, hirudines capiti applicatae et vespere nova venaesectio est facta. Dolores fortiores nunc accelerarunt partum, unde tamen infans in lucem prodiit jam pridem emortuus. Symptomata hyperaemiae cerebri tum demum evanuerunt, quum denuo venaesectio facta et fomenta gelida capiti applicata essent. Aegrota in dies magis magisque convalescebat eo, quod excretiones alvi criticae et lactis copia in uberibus ortae sunt. At sane illa prius convaluisset, nisi subita refrigeratio febrem rheumaticam ei adduxisset, quae eam aliquamdiu post lecto affixam tenuit.

VITA.

Natus sum Carolus Kueper Werlae in Guestphalia anno MDCCCXVIII die vicesimo nono mensis Aprilis patre Conrado Guilelmo Kueper, consiliario in rebus medicis regio, pharmaceuta, matre Florentina e gente Pape. Patrem optimum praematura morte mihi abreptum lugeo, matrem adhuc superstitem pio gratoque animo veneror. Fidem sequor catholicam. Primis literarum elementis a praeceptore dilectissimo Nubel, tum temporis vicario salinarum Werlensi, imbutus, gymnasium Arnsbergense, quod tum temporis directore Illustrissimo Prof. Baaden florebat, per quinque annos frequentavi. Inter alios praeclaros viros, quorum institutione Arnsbergae gavisus sum, Kautium, virum suavem et doctrina insignem, nominare liceat. Ibi testimonium maturitatis nactus, auctumno anni MDCCCXXXVIII almam Frideric. Guilelm. Rhenanam musarum sedem adii, ubi a t. t. Rectore magnifico Ill. Mayer in civium academicorum numerum receptus, nomen apud facultatis medicae decanum spectabilem Ill. Wutzerum professus sum.

Praelectiones, quibus interfui, hae sunt: Ill. van Calker de logice et de psychologia; Ill. Windischmann de historia philosophiae; Ill. Plucker de physice experimentali; Ill. Bischoff de chemia anorganica et organica; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Naumann de encyclopaedia scientiarum medicarum; Ill. Mayer et Weber de anatomia generali et speciali; Ill. Nasse de experientia et usu in medicina; Ill. Harless de Celsi lib. IIX de medicina.

Anno praeterito ad Ruperto-Carolinam universitatem litterariam Heidelbergensem me contuli, ubi a prorectore Ill. Munke inter cives academicos receptus et a decano spectatissimo Chelius in album medicum inscriptus sum. Ibi audivi:

Ill. Tiedemann de anatomia generali et speciali cum physiologia conjuncta, nec non de physiologia organorum sensuum et nervorum. Eo et Ill. Bischoff et Dr. Kobelt ducibus me exercui in cadaveribus rite dissecandis. Ill. Bischoff de physiologia, de anatomia comparativa et de generatione; Ill. Puchelt de pathologia et therapia generali; Ill. Dierbach de materia medica; Ill. Naegele s. de arte obstetricia.

Duobus semestribus ibi praeterlapsis Berolinensem petii almam musarum sedem, ubi a Rectore Magnifico Ill. Lichtenstein civibus academicis adscriptus et a Decano spectatissimo Beat. Osann in album medicum inscriptus sum.

Audivi: Ill. Schoenlein de pathologia speciali et in clinico medico; Cel. Troschel de chirurgia; Ill. Juengken in clinico chirurgico et ophthalmiatrico practico; Cel.

Wolff in clinico medico practico; Ill. Busch in clinico et policlinico obstetricio practico; Cel. Romberg in policlinico practico medico; Cel. Kluge in clinico, quo sanantur morbi syphilitici; Cel. Truestedt in clinico medico-chirurgico practico; Ill. Mueller de anatomia pathologica. Inde ab ineunte Augusto a. p. duce viro Illustrissimo Eck chirurgi voluntarii functus sum officiis.

Horum omnium virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum memoriam alta semper mente servatam habebo.

Tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore ut, dissertatione thesibusque rite defensis, lauream doctoralem adipiscar.

THESES.

1. Tuberculosis idem morbus ac scrophulosis.
2. Cephalaematoma non ex pressione colli uteri oritur.
3. Oculus est speculum omnium corporis morborum.
4. In curandis plurimis morbis diaeta medicaminibus efficacior.